BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 B
16

DE THEOLOGIAE NECESSITATE, ET COMMODO, AC DE IIS QVAE DE DEI ESSENTIA, ET EIVS ACTIONIBVS

1555

à D. Thoma
ín prímis quæſtíonibus prímæ
partís tradíta ſunt;

THEOLOGICAE ASSERTIONES

deſendendæ per unum ex auditoribus Theologis societatis Ieſu in diſputationibus, quæ antè inſtaurationem ſtudiorum hoc anno M. D. LV. Romæ in templo societatis habebuntur: præſidibus doctoribus, qui Theologiam in Collegio eiuſdem societatis pro-fitentur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5.20.I.29

De Theologia; & eius vſu.

Naturalis eſt in homine propenſio ad beatitudinem, quæ uires naturæ ipſius ſuperat, naturalis etiam in eo potētia ineſt, quæ ſupernaturalibus adminiculis indiget, vt ad illum ſe finem attollat.

Inter alia autem diuina præſidia, quibus muniēda erat humana imbecillitas, reuelata utiq;, & ſupernaturali doctrina de Deo, & eius bonitate, ac miſericordia homini opus fuit, etiam in ſtatu innocentiæ conſtituto, ut finem, in quem conditus erat, conſequeretur.

Eidem uerò, poſtquam ſe uitiauit, neceſſaria præterea alia quædam doctrina extitit, quā de morbi ſui conditione, & remedio certior fieret.

Quin & multa alia æquum fuit per reuelationem a domino patefieri ex iis, quæ lumine naturali aſſequi nōnulli poſſent, illi præſertim, qui ingenium habent fælix, & in literis exercitatum, vt rudibus etiam, & ſcientiarum imperitis conſuleretur.

Quanto autem ſtudio diuina hæc doctrina ab iis, qui eam poſſidēt, aliis tradenda ſit, abundè illud oſtendit, quòd ea (authore D. Paulo) a nemine (uia ſaltem ordinaria) aliter quàm per auditū comparari poſſit: Vt neceſſarium planè ſit perire eos, ad quos euangelii prædicatio nō peruenit, niſi extraordinaria aliqua ratione a domino liberentur,

Hæc porrò doctrina, vt communis eſt chriſtianis omnibus, fidei nomen habet, Theologiæ autem ſcientia nuncupatur, quatenus certa ratione & methodo ex propoſitionibus in ſcriptura expreſſis, aut perpetua, & conſtanti Eccleſiæ traditione receptis, tanquam ex principiis per lumen ſublimioris ſcientiæ, quam beati poſſident, illuſtratis; cōcluſiones colligit, per quas homines ſatis plenè, vt in hoc exilio, de iis admonentur, quæ de Deo, & ſanctiſſima ipſius uolūtate noſſe debent.

Sit ne autē hæc ſcientia vna, an plures, & utrum dici, ac haberi ſcientia, uel ſapientia debeat; practica item, an ſpeculatiua, non eſt ſcrupuloſè nimium (ut a multis fit) exquirendum. Illud ſatis conſtat, ſi de ſapientia, & ſcientia cum D. Auguſtino loquamur, utriuſq; uim obtinere, quòd æterna, ut in principio fuiſſe, & eſſe uerbum, & temporaria, ut uerbum carnem factum eſſe, conſideret, nec ad ſolam ſpeculationem eſſe alligatam, quin & plura, eademq; ſanctiſſima uitæ documēta tradere. Vnā uerò meritò dici poſſe, non ea quidē ratione; quòd omnia, quæ tradat, per lumē reuelationis illuſtrata uideat: uerū hac potius, ꝙ de Deo, rebuſq; diuinis, tanq̄ de vnico p̄cipuo ſubiecto diſſerat.

Theologia hæc longè præſtat dignitate cæteris omnibus ſcientiis, ſiue præſtantia rerum, quas tractat, ſiue earū firmitas, & certitudo ſpecte-

tur: Nec ulla planè inter reliquas omnes digna inuenit, quæ prę illa, ſapientia (vt hoc nomen a philoſophis accipitur) dici debeat, quippe nõ tantũ illa nobis, quod cognoſcibile eſt Dei, ſed alia etiã multò excelſiora, ad quæ ſolus ſpũs Dei penetrat (vt D. Paulus ſcribit) patefacit.

Multùm ipſa tamen a ſapientiæ dono differt, Nam per eam nuda duntaxat rerum diuinarum intelligentia imbuimur, quæ prauas ſæpe mentes inhabitat: at ſapiẽtię dono ita rerũ ęternarũ pulchritudinẽ, et excellentiã ſoli boni cognoſcũt, vt earũ ſuauiſſimo quodã ſapore capiãtur.

Vindicat hoc ſibi Theologia, q̃tenus ſup̃ma ſciẽtia eſt, ut diſputare cũ iis, qui principia ipſius repudiãt, nõ auerſet: quanq̃ enim multa ex p̃cipuis ſuis prĩcipiis ethnicis hominibus, q̃ ſcripturas diuinitus ĩſpiratas nullas recipiũt, ꝓbare nequeat: docet nihilominus ita rationes omnes, quibus oppugnatur, refellere, ut earũ infirmitas euidenter declaretur.

Quòd præcipuas uerò ſuas rationes ex authoritate ducat, nec eius dignitatẽ eleuat; cum teſtimonia, quibus vt firmamentis utitur, omniũ aliarũ ſcientiarũ principiis præſtent, et neceſſaria quidem ratione facit, partim propter noſtri intellectus ad percipiendas res tam ſublimes tarditatem, partim quòd ſæpiſſimè quæſtiones facti, & circa ſingulares res poſitas tradat, quas certũ eſt nulla uerius ratione, quàm teſtimoniis diſceptari, per quæ teſtimonia, etiam cũ humana ſunt, aſſenſio nonnunq̃ gignitur, quauis opinione euidentior, & quę de certitudine cum ipſis etiam num ſenſibus certet.

Scriptura ſacra (in qua huius ſcientiæ principia maxima ex parte, vt antea diximus, continenẽ) metaphoris multis, non utili modò, ſed neceſſaria etiam ratione abundat. Parabolis autem & ſi nonnunq̃ eo fine, quo & metaphoris utatur, nẽpe ad illuminãdas abſtruſas aliquas res ſpiritales ſimilitudine rerum ſenſibilium, ſæpè tamen uti ſolet ad myſteria magna cælanda; & ad excitandam hominũ diligentiam.

In ipſa porrò (parabolis exceptis, quæ narrationem ficticiam pro ſenſu literali habent; & ad ſpiritualem duntaxat intellectum referuntur) nullus inuenitur locus uero aliquo ſenſu literali deſtitutus, qui tamẽ non unus ſemper unius loci, ſed ſæpe multiplex eſſe ſolet, ac ſolus ad dogmata fidei confirmanda uim habet, niſi cum ſpiritalis peculiari, & certa Dei inſpiratione alicui reuelatur.

Vt D. Paulus nomine ſpiritus uiuificantis, quem literæ occidenti opponit, ſenſum ſpiritalem non accepit, ſed gratiam Dei, qua uiuit anima: ita nomine literæ occidentis non ſenſum literalem, ut quidam falſò exiſtimant, ſed legem abſq; dono gratiæ propoſitam intellexit.

Literalis porrò ſenſus, qui ſolus in apoſtolorũ epiſtolis inuenit̃, etſi non ſemper hiſtoriã narret, cũ ſpiritalem tamen ſenſum includit, hiſtoriæ ſemper rationẽ habet, ideoq́ hiſtoricus dici aptè poteſt quatenus ſpiritali opponitur. In eo uerò Etheologia, & Analogia ſępè quidẽ inueniuntur, cauſa tamen nulla eſt, cur ſpecies literalis ſenſus dici debeãt.

Verum ſpiritalem ſenſum, quẽ D. Auguſtinus in ſpecies nõ diuiſit, ſed unico nomine allegoricũ appellauit, rectè neotherici in tres partes diſtribuerũt, Allegoriã, Analogiã, & Tropologiã, quę ad cõfirmationem trium maximarũ uirtutum Fdei, Spei, & Charitatis referuntur.

Deum eſſe.

Non minuit, ſed illuſtrat Theologia dignitatem ſuam, cum præter morem aliarum ſcientiarũ demittit ſe ad demonſtandũ ſubiectũ, de quo diſſerit, eſſe, ut noſtræ uidelicet imbecillitati ſuccurrat. Vtitur autem cum in hac parte, tum in multis aliis obſequio inferiorũ diſciplinarũ, quæ tanq̃ fideliſſimæ ancillæ argumenta ultrò illi ſubminiſtrant, ad cõfirmãda plurima, quę ſeorſũ exactè ab ipſis tractant̃, et explicant̃,

Deum igitur eſſe, quod per ſe notũ nõ eſt. i. mouens quoddam immobile, & primum efficiens, ac ens ſimpliciter neceſſarium, quod nec uim mouendi, aut efficiendi, nec neceſſitatẽ ſuã aliunde acceperit: quodq́ reliquis omnibus, quæ ſunt, perfectione et bonitate pręſtet (nam hoc eſt, quod Dei nomine nos intelligimus) in rerum natura inueniri pſpicuè inde demonſtrat, ꝙ alicqui nil moueri, nil effici; nihil deniq́ eſſe, aut bonitatẽ, & perfectionẽ illã habere euidẽter cõſequeret̃: id quod ex ordinatiſſima etiã rerũ gubernatione; earum pręſertim, quę mente ac ratione carẽt, & cuiuſq́ in finẽ ꝓpriũ directione aptiſſimè colligit.

De ſimplicitate Dei.

Deus corpus non eſt, quia nec pati poteſt, & immediatè alia mouet manens immotus. Materiæ etiã omnis expers eſt, quoniã primò & per ſe primũ eſt agens. Nec eſt in eo ſuppoſitũ ab eſſentia diſtinctũ, ut in angelis, in quibus ſuppoſitũ, etſi intrinſecè ab eſſentia non differat, quia non per materiam, ſed per ſe indiuiduatur: extrinſecè tamen eſſe includit, quod ab ipſorum eſſentia diuerſum eſt.

Deniq́ quia Deus eſſe non recipit, ſed per eſſentiam eſt ſua exiſtentia, neceſſum eſt, ut ſummè ſimplex exiſtat: nã nec ſub genere id eſſe poteſt, quod a differẽtia exiſtentiã nõ mẽdicat, & exiſtentia, quę nullo genere cõpręhendit̃, purũ eſſe ſit oportet. At quod purũ eſt eſſe, id certũ eſt, cũ ſit expers omnis potẽtię, nec eſſe cõpoſitũ, nec ullã poſſe ingredi compoſitionem. Perſpicuũ etiam eſt, id ſolum ſecundum quiddita

tem eſſe ſimpliciter appellari, cum cæteris rebus, quæ potentiam in eſſentia admittunt, accidentaliter duntaxat exiſtere attribuatur.

De perfectione Dei.

Qui percipit, quid ſit Deum per eſſentiam eſſe ipſum eſſe, & cognoſcit perfectionem actum ſignificare; nihilq́, quatenus in potentia eſt, perfectum dici, ſed, ut eſt actus: intelliget utiq; non ſolum Deum ſummè eſſe perfectũ, quia eſt primus actus p eſſentiã, ſed cauſsã etiã neceſſariò eſſe perfectionũ rerum omnium; cum ſit fons, vnde omnis actus, & omne eſſe dimanat.

De bonitate in genere.

Boni nomen nõ aliter, quã pfecti, enti omni tribuit̃. Verũ pfecti, boniq́ rationes uſq; adeò ſunt à ratione entis differentes, ut nihil ſit vſitatius, q̃ res creatas ab eſſentia (vnde ſimpliciter entia vocãtur) diminutè, & ex parte tantũ bonas, & pfectas nũcupari. Cõtra uerò ab accidẽtibus abſolutè bonas eas dicere; unde pręciſè tantum, & non plenè entia ſunt.

Ipſa certè boni ratio non ſimplex eſt: quin aliquando res, vt perfectas, ſic etiam bonas abſolutè uocamus, boni nomine id ſignificantes; quod fundamentũ proximum eſt expetibilitatis ipſarũ rerum. Quãdoq; uerò bonum per relationem id appellamus, quod commodum, & conueniens alicui eſt; quo modo multa eſſe fatemur, quæ ad diuerſa relata, bona ſimul, & mala dici poſſunt.

D. Paulus, cũ omnem Dei creaturã bonã eſſe affirmauit, ad abſolutam boni rationẽ intuitus eſt, qua ſanè res nulla realis, ne ipſa quidem prima materia deſtituitur. Veriſſimũ etiam eſt, quod Dionyſius ſcribit; multa, quæ non exiſtunt, perfectã boni rationem nõnunq̃ ſubire, vt animo, & cogitatione cõprẽhendũtur. Quin & ipſum adeò non eſſe, ità aliquando expetibile per accidens reddi ſolet, ut meritò ſecundũ rectam electionem ipſi eſſe anteferatur.

Ab eodem D. Dionyſio bonum ſui eſſe diffuſiuum, hoc ſenſu haud dubiè dictum eſt, quòd res quæq; quò plus bonitatis participat, eò plus habeat effectiuę, & communicatiuę potentiæ. Verum eſt nihilominus, bonum, cum pro ratione alicuius productionis affertur, finalem cauſam ſignificare, quę pinde efficiẽti prior eſt, atq; eſt ipſa efficiẽs prior formali. E contrario etiam, vt in effectu poſterius imprimitur quod ad efficientem cauſam pertinet, quàm quod ad formalem: ità poſtremũ perpetuò locũ occupat, quod perfecti, boni, ac finis rationẽ hẽt.

Aſſentimur D. Auguſtino ſapientiſſimè conſtituenti tria in cunctis creatis rebus, & actionibus non minus ſpiritualibus q̄ corporalibus inueniri, ex quorũ incremento, vel decremẽto earũ nos bonitatem metiri oporteat, modũ nimirum, ſpeciem, & ordinẽ. Ac menſuram quidem (de qua ſapientiæ x i mentio fit) modo, ac decoro reſpondere, numerum uerò ſpeciei, quæ cuiuſcunq; rei naturam, & conditionem deſignat: pondus autem ordini, atq; habitudini, quã res ſingulæ ad proprios fines, & ad alias res habent. Affirmamus autem hanc eandem D. Baſilii, & Ambroſii fuiſſe ſententiam.

Veriſimile non eſt, eos, qui bonum in honeſtum, delectabile, et utile partiti ſunt, ad obiecta ſingulorũ appetituũ diuiſionẽ ſuã accomodaſſe, cum in naturali appetitu honeſtũ, ac delectabile nõ inueniatĩ, nec honeſtum quidem in animali: ac difficile etiam ſit in ſolo rationali honeſtum a delectabili ſeparare. Illud itaq; exiſtimari potius debet, authores huius partitionis obiecta triũ differentiũ appetituũ diſtinctis nominibus uoluiſſe diſcernere, ac honeſtũ ad rationẽ, delectabile ad ſenſum, utile ad vniuerſalem naturã retuliſſe. Vtilis autem uocẽ (quæ propriè nec finem ſignificat, nec ullum per ſe bonũ) ad ſignificandum eſſe in genere, ad quod expetendũ naturali quodam impetu, & propenſione res omnes rapi uidentur, traduxiſſe. Hoc.n. utilis nomine accipere etiam uidemur, cum affirmamus auaros, & timidos, atq; abiectos homines utile ſolum nõnunq̄ conſectari, nulla honeſtatis, aut delectationis habita ratione.

De Bonitate Dei.

Quod a ſumma veritate dictũ eſt, Deum ſolum eſſe bonum, ac præ eo neminem bonũ dici debere, non ea tantũ ratione admitti a nobis debet, q; ſolus Deus ipſum bonum per eſſentiam ſit, reliqua per participationem: Verum hac etiam ratione, quòd Deo tantum ratio boni eſſentialiter, cæteris omnibus rebus accidentaliter tribuatur. Itaq; cedere hac in parte Ariſtoteles præceptori ſuo cogitur, & cum eo fateri ueriſſimam bonitatis idæam in rerum natura inueniri, a qua res creatæ bonæ appellantur, non quidem denominatione omninò extrinſeca (quòd hoc in abſolutis accidere nequeat) ſed quatenus ab illa, tanq̄ a perenni fonte, ſingulæ portiunculæ ad ſingulas res iugiter manãt, per quas intrinſecè bonæ ſunt, & aliquam ipſius ſimilitudinẽ imitantur.

Porrò quocunq; modo boni nomen accipiatur, ſiue abſolutè inq̄ ſiue reſpectiuè, confitendum planè eſt ſummè id Deo competere. Etenim

ſolus Deus bonum illud eſt, quod reuera ab omnibus maximè expetitur, eo præſertim appetitu, qui labefactari nequaq̃ poteſt. Nam cũ naturali inclinatione res uniuerſæ in perfectionẽ ferantũ, qua ſimiles Deo eſſe ualeant, hanc autem ſimilitudinẽ non ab alio, q̃ ab ipſo poſſint accipere, nec ſine eius ope retinere: fit profectò, Deum etiam re latiuè ſummè bonum .i. ſummè cõmodũ rebus oĩbus eſſe. Ac proinde ſummè ipſum a nobis utroq; nomine amari, & coli oportere: tũ quòd ſummè bonus, & perfectus abſolutè ſit, tum etiam, quòd nobis ſum mè ſit commodus, & neceſſarius.

De infinitate Dei, & Creaturarum finitate.

Quemadmodum neceſſaria ratione colligitur, creaturas omnes finitas ſecundum eſſentiã eſſe, quòd uniuerſæ huiuſmodi ex neceſſitate ſint, vt uel actum ſubſtantialem incluſum in ſubiecto habeant, uel potentia ſint eiuſmodi actus ſuſceptiua: ſic neceſſariò etiam demonſtratur, Deum infinitum eſſe, q; actus purus, & irreceptibilis exiſtat.

Reperitur nihilominus inter creaturas infinitum perfectione in potentia non aliter, q̃ȝ infinitum multitudine, uel magnitudine. Cæterum ut apertam inuoluit contradictionem, omne creabile actu creari, aut infinitũ perfectione actu produci; ita planè repugnat inueniri actu, quod uel magnitudine, uel multitudine ĩnfinitum ſit. Actualis enim productio, ut non poteſt infinitæ exęquari potentiæ: ità nequit niſi in id, quod finitum ſit, terminari. Quemadmodum etiam quancunq; actionem externam, uel ipſius infinitæ ſubſtantiæ finitam eſſe neceſſum eſt, ne infinita alioqui uis unica exhauriatur actione; Sic haud dubiè euidens eſt, res omnes productas limitibus numeri, pon deris, ac menſuræ circumſcriptas eſſe oportere.

De præſentia Dei in Creaturis.

Tàm eſt proprium Deo, neceſſariò, ac per ſe ubiq; eſſe, ut id nulli præterea rei competere poſſit. Ipſum uerò rebus omnibus ſecundum poten tiam præſentem adeſſe præcipuè hoc arguit, q; ab eo res uniuerſæ, quandiu manent, ſuſtentantur, & ſubitò in nihilũ abſq; motu ullo re digi poſſunt. Id quod clariſſimè etiam præſentiã ipſius Dei ſecũdum ſcientiã, & præſentiã demõſtrat, quoniã fieri nulla ratione poteſt, ut immediatè aliquid annihiletur ab agente per intellectũ, & uoluntatẽ, quin ipſum agens intimè, & immediatè per ſcientiã, & eſſentiã præ ſens illi adſit. Hanc autem ſapientiã plurimis philoſophis ignotã diuina ſcriptura patefecit, erudiens nos in Deo conſtare omnia, atq; in eo nos oẽs uiuere, moueri, atq; eſſe. Ipſumq; adeò cunctis creaturarũ

operibus, tanquam primarium illorum authorem præeſſe. Nam quas actiones conſtat eum ſolo ſuæ voluntatis nutu impedire, ac in nihilum redigere poſſe; eas neceſſum haud dubiè eſt ab ipſius voluntàte, tanquam à ſuprema cauſa pendère.

Adeſt quoq; Deus præſens ſingulari quodã munere, non omnibus, ſed paucis quos per gratiam inhabitare dicitur. Ex ſententia autem veterum affirmare non poſſumus, ideò Deum per gratiam aliquem inhabitare, quòd ab eo actu, vel habitu cognoſcatur, vt quibuſdam Neotericis viſum eſt. Sed q; eum potius Deus diligat, & notitia approbationis agnoſcat.

De immutabilitate Dei, & creaturarum mutatione.

Deum modis omnibus prorſus eſſe immutabilem, dilucidum, & euidens efficit, cum infinita eius perfectio, tum ipſius abſoluta ſimplicitas; & illud adeò, quòd purus actus exiſtat. Itaq; mirandum, ac dolendum quidem vehementer eſt, veniſſe in mentem cuiuſdam ſcriptoris chriſtiani, viri alioqui non indocti, errorem aduerſus hanc illuſtriſſimam veritatem, vſque adeò quidem craſſum, & blaſphemum, ut eum etiã ethnici philoſophi deteſtentur. Is enim in quodam opuſculo cũ duas in Deo proprietates diſtinxiſſet, alteram ad ipſius diuinitatem, alteram ad creaturas, & earum adminiſtrationem ſpectantẽ, nimis præfractè contendit, Deum, etſi iuxtà priorem proprietatem immutabilis ſit: iuxta poſteriorem tamen uarias identidem mutationes ſubire.

Abſoluta immutabilitas propria Dei eſt, quanquam enim creaturæ repetiantur aliquæ ſuapte natura incorruptibiles, quòd videlicet potentiis careant, quæ poſſint abſque eſſe, quod habent, conſeruari: nulla tamen inuenitur, quæ accidentaliter non mutetur, quæq; eſſe ſubſtantiale, quod per Dei imperiũ accepit, nõ eodem imperio valeat amittere.

De æternitate Dei, & aliis durationum menſuris.

Quanquam ſapienter fuerint tria velut menſurarum genera ad diſtinguendas rerum durationes à Theologis excogitata, æternitas, æuũ, ac tempus, quòd totidem nimirum in rebus ipſis circa mutabilitatem, & immutabilitatem varietates inueniantur, ad quarum naturam menſuras ipſas accomodatas eſſe oportebat: ex tribus tamen nominatis ſolum nobis tempus videtur rationem menſuræ propriè ſuſtinere. Aeternitas enim non tam menſura eſt rei æternæ, q̃ quiddam declarans id eſſe ipſius ingenium, ut omnem prorſus menſuram excludat; quia infinita videlicet, & indiuiſibilis. Aeuum verò & ſi generales quaſdam conditiones durationis rerum æuiternarum oſtendat, qui-

bus

bus ab æternis illę, & à temporariis diſcernuntur: nihil tamen ſigni ficat, quo nos de quantitate durationum ipſarum certiores reddamur, quoq; ipſas durationes, quæ varię ſæpe, & diſtinctę eſſe ſolent, con ferre inter ſe, ac diſtinguere valeamus. Nec conceſſum quidem hoc videtur infirmæ noſtræ mentis coniecturæ, dum ſenſibus ſaltem al ligata uiuit, ut menſuram, quę hoc in ęuiternis præſtet, quod præ ſtat tẽpus in rebus interituris, aſſequatur.

Aeternitatem utiq; durationem uocamus ſimplicẽ omninò, atq; indi uiduam, in qua nec principiũ, nec finis, nec ulla penitus uarietas in ueniri poteſt: quæq; nihil prorſus differat à ſuo nunc, quod perpe tuò idẽ ſubiecto, ac ratione, ſine initio, et abſq; fine perſeuerat. Hanc uerò ſoli Deo conuenire non ex eo tantum cognoſcimus, quòd ſo lus ipſe eſſe habeat ſimpliciter immutabile, & eiuſmodi, ut finẽ per annihilationem accipere nequeat: Verum inde etiam, quòd ſolũ eſſe Dei principium durationis non agnoſcat.

Nam quod multi catholici alioq, & eruditi ſcriptores dixerũt, creaturã pricipio durationis poſſe carere, prętet q̃ q; diffinitioni creaturę ſapi entiſſimè à ueteribus tradirę repugnat, et impoſſibile ex eo etiã demõ ſtrat q; ex negatione actus ad negationẽ potẽtię nõ ſecus liceat in hac materia argumẽtari (ratione petita ex decentia bonitatis diuinę) quã cũ colligimus, non poſſe quicq̃ infinitũ actu creari, quòd creatũ illud nunq̃ fuerit. Sed pręter has ratiões incõmoda certè abſurdiſſi ma, & plena contradictionũ ſentẽtia illa continet, quã qui primi ex cogitarunt, parũ diligenter attenderunt, quantum ſit diſcriminis inter contingentem, & externam naturæ productionem, quæ fit per libe rum Dei imperiũ, & internã filũ, atq; Spiritus ſancti emanationem.

Aeui nomine (ut nunc hæc uox in ſcholis latinorum uſurpatur) duratio intelligitur rei, quæ eſſe habet principio finitum, & fine terminabile, eiuſmodi tamen, quòd nullã, quãdiu durat, mutationẽ poſſit recipere. quo ſolo diſcrimine, eſſe rei æuiternę ab eſſe rei tẽporariæ diſcernitẽ.

Improbanda penitus eſt eorum ſententia, qui æuum indiuiſibilem du rationem, & uno nunc comprehenſam eſſe affirmant: nullum etenim æuum actu accipi poteſt, in quo non facilè queãt tria nunc diſtingui, ordine prioris, & poſterioris inter ſe differentia, ut ſit primũ nunc productionis, alterum nunc conſeruationis (quod ſanè maximam ha bet cum nunc æternitatis cognationem, & cum longiſſimo tempori coexiſtat, idem manens ſubiecto, atq; ratione, apertam, æui, ac tempo ris differentiam indicat) tertium uerò nunc annihilationis ſiuè actua

lis, ſiue potentialis: Aeuum enim infinitum non eſt, niſi in potentia tantum, vt tempus.

Iam de tempore illud nunc tantum dicemus, aptiſſimè ipſum diffiniri, ſi duratio eſſe dicatur ſimpliciſſimi, ac notiſſimi motus, priori poſteriorię diſtincta, qua ut prima menſura rerum omnium inſtabilium durationes menſurantur. cuius nunc (quod nihil aliud eſt, quàm mobile illud, cuius motus tempus appellatur, ut præſens mutatũ eſſe habet) etſi in toto tempore ſubiecto ſit idem; ſemper eſt tamen aliud, atq; aliud ratione. Qua in re ab illis nunc differt, quæ per translationem ab ipſo ſumptam in æternitate, & in æuo iuxta conſeruationem ponimus: nihil aliud his nominibus ſignificãtes, q̃ res illas, quibus æternitas, aut æuum attribuitur, vt habent eſſe ſub omnibus illis conditionibus, quæ in eis notari poſſunt.

Porrò etſi rebus incorruptibilibus aliis à Deo æuũ, corruptibilibus autem tempus tribuatur: incorruptibilitas tamen, & incorruptibilitas huius differentiæ cauſſa nõ ſunt, ſed ꝓprietates potius, quæ corruptibilitatẽ, & incorruptibilitatem in ſubſtantiis conſequuntur: nempe retinere eſſe ſtabile, & firmum, ac prorſus inuariatum, uel habere illud adeò fluxvm, & inſtabile, ut, quanq̃ permanens dicatur, quatenus aduerſus ens merè ſucceſſiuum opponitur; quod nullas partes ſimul habere poteſt: nunq̃ tamen in eodem ſtatu perſeueret, ſed ſemper cum tempore uarietatem accipiat, id quod in animalibus euenire nullus eſt qui neſciat. Sed accidere illud etiam in cunctis ſubſtantiis corruptibilibus multi ex veteribus ſapientiſſimis theologis tradiderunt. Hæc igitur proprietas eſt, quæ affinitatẽ inter res corruptibiles, tempusq; conciliat, non ipſa corruptibilitas. Etenim actiones plurimæ angelorum &ſi corruptibiles ſint; tempore tamen non metiuntur, ſed æuo potius, ſi ſucceſſionem non recipiant, nec vllam, quandiu durant, varietatem admittant. Non enim audiendos illos eſſe putamus, qui neſcio quod tempus diſcretum pro illis commenti ſunt.

De vnitate, & multitudine in genere.

Vnum ſimpliciter acceptum nihil ad entis rationem præter negationẽ diuiſionis addit, quæ tanq̃ propria paſſio ipſum conſequitur. quare tàm latè, quàm ens patet, & ſola ab eo ratione diſtinguitẽ. nam ens, ut ſimpliciter ſumitur, in unum, & multa non diuiditur, ſed quatenus ea etiam complectitur, quæ & ſi non ſimpliciter, quoquo modo tamen unum, & ens ſunt.

Et ſi unum prædicamenti quantitatis ab uno tranſcendente ea tantum ratione differat, qua inferius à ſuperiore, non ſecus, q̃ unũ ad reliqua prædicamenta contractum ab eodem ſimpliciter accepto diſtinguit: Placuit tamen philoſophis vnius, & multitudinis nomina, vt ad quãtitaem accommodantur, ipſius quantitatis uelut ſpecies appellare, quòd animaduerterent rerum omnium ſenſibilium vnitatem et multitudinem ex quantitatis vnitate, & multitudine.i. indiuiſione, ac diuiſione pẽdere. Vnũ profectò ad quantitatẽ contractũ ſolam indiuiſionem ad eam addit, & cum ipſa, ut genus generaliſſimum eſt, conuertitur. Itaq; quantitatum multitudo non magis quantitatis ſpecies dici debet, ſi propriè loquamur, q̃ multitudo ſubſtantiarum, ſubſtantiæ.

Eorum uerò ſententiam, qui numeri, & multitudinis uoces ad ſolũ quantitatis prædicamẽtum alligauerunt, contendentes unum, quod numeri principium eſt, in quantitate duntaxat inueniri, ac ſupra vnũ, tranſcendens, poſitiuum aliquid, utpotè menſuræ rati[illegible]nem, addere; communis loquendi, ac ſentiendi conſuetudo abundè repudiat: quippe & uulgus, & ſapientes ex æquo omnium prædicamentorũ rebus inextenſis, & incorporeis, iuxta atq; extenſis, et corporeis eas attribuunt. Rationem uerò formalẽ unius abſq; cõſideratione principii, numeri, aut menſuræ concipiunt. Non negant tamen ſapientes unũ tranſcendens rationes illas fundare, quas principium numeri, & menſura ſignificant: illam quidem prius, hanc uerò poſterius.

Porrò cum numerus, ut eſt forma ſimplex, ens tantũ rationis ſit [illegible] intellectu numerãte fabricatum, ridiculè planè faciunt, qui perfectionẽ ullam realem numeris adſcribunt: Nec rectè profectò ſentiunt, qui ullum illis in prædicamentis locum aſſignant, in quibus nihil propriè collocatur, quod reipſa, atq; ſimpliciter unum non ſit.

Non ꝓpriè etiã illi loquũtur, qui relatiuã oppoſitionẽ inter unũ, & multa conſtituunt, cum nec ad unius rationem eſſe menſuram, nec ad rationem multitudinis eſſe menſuratum pertineat. Rurſus cum vnum modis omnibus multitudine prius ſit, defendi eorum ſententia nequit, qui unum cum multitudine, tanq̃ priuationẽ cum habitu pugnare aiunt. Inuenitur autem hæc pugna uerius inter diuiſionem in multitudine compræhensã, & indiuiſionem, abſq; qua unum intelligi nõ poteſt. Etenim hunc, dũ intelligimus, ſeruamus ordinẽ, vt primũ ens, deinde entia, tertiò diuiſionem, quartò vnitatem, quintò multitudinem percipiamus.

Porrò etſi diuiſio in certo quodam, & determinato gradu per indiuiſionem illam negetur, quã unum tranſcendens ſignificat, In ipſo nihilominus uno uarii, & diſtincti gradus latent, petiti illi quidem ex diuerſitate, quæ in diuiſione reperitur, ità ut uerè res ętherogenea minus vna q̃ homogenea: & è cõtrariò res ſimplex magis vna, q̃ compoſita eſſe dicatur. Huc autẽ D. Auguſtinus, & alii ueteres ſcriptores ſpectarunt, cum ſcripſerunt, nullũ corpus uerè, ac propriè vnum dici poſſe.

De vnitate Dei

Deum vtiq; vnum eſſe ex mundi vnitate, & ipſius Dei infinitate efficaciter oſtenditur. Ipſum uerò non tantum vnum eſſe, uerum etiam eſſe maximè vnum, ex ſumma ipſius ſimplicitate, atq; indiuiſione, quæ cum ſumma entitate in eo coniuncta eſt, euidẽtiſſimè demonſtratur.

De viſione Dei.

Si Deus ab homine uideri poſt reſurrectionem per eſſentiam poterit, quacũq; ope diuina adiutus id faciat, dubiũ non eſt, quin uidere etiam illum per eſſentiam nunc poſſit: cũ ſimili ope diuina adiuuari in hac vita queat. Controuerſia igitur de Moyſe, & Paulo, aut aliis, qui Deũ vidiſſe dicuntur, non ea eſt inter catholicos, an potuerint, ſed utrum re ipſa Deum per eſſentiam, anteq̃ morerentur, uiderint. Cuius conſtitutio non aliunde, q̃ ex diligenti ſacræ ſcripturę examinatione peti poteſt. Quanq̃ autem D. Auguſtinus in ea fuerit opinione, vt Deum à Moyſe per eſſentiã fuiſſe uiſum putarit, quòd in uerſione ſeptuaginta legiſſet, petiiſſe Moyſen à domino: oſtende mihi te ipſum manifeſtè, vt uideam te: In qua uerſione impetraſſe etiã illũ quod petierat, ſignificatur: tamen tam perſpicuè poſtea in eodem capite à domino dicitur, non uidebit me homo, & viuet, vt oppoſitam ſententiam multò probabiliorẽ iudicemus: præſertim cum & hebraica litera pro uerbis illis, quæ citata ſunt, habeat, oſtende mihi דְרָכֶךָ .i. uiã tuam, vt ſciam te: & paraphraſis caldaica, oſtende mihi viã bonitatis tuæ, vt agnoſcam miſericordiam tuam.

Veriſimilius etiam eſſe affirmamus D. Paulũ in raptu Deum per eſſentiam non uidiſſe, q̃ oppoſitum: quanq̃ certum ſit, uidiſſe illũ magnũ aliquod, & ineffabile lumen: ſciebat etenim D. Paulus dictum vniuerſaliter fuiſſe à Domino, Non uidebit me homo, & uiuet. quare, ſi ad uiſionem per eſſentiam perueniſſet, non dubitaſſet, quin extra corpus ea illi accidiſſet, cum propter ſermonem domini in corpore contingere non poſſet.

Quod attinet autem ad eam queſtionem an uiſionem Dei per eſſentiam beatorum animę, & angeli aſſequãtur, de qua magnam olim pugnam Armeni, & Gręci aliquot, Latinis fecerũt, illud principio dicimus, multas quorũdã ueterũ, vt Dionyſii, Chryſoſtomi, Cirilli, ac Damaſceni; Ambroſii: Hieronymi, & aliorum ſententias, qui illa D. Ioannis uerba, Deum nemo uidit unq̃, ſic interpretati ſunt, ut exiſtimaſſe uideãtur, uiſionem Dei per eſſentiam, ne angelis quidem eſſe cõceſſam: ità commodè accipi poſſe, vt de ſpiritibus diuino lumine deſtitutis, & ſolo naturali pręditis dictæ ſint. Sententia uerò D. Auguſtini, qui beatorum omnium fælicitatem in uiſione Dei per eſſentiam ſitã eſſe contendit, vt ueriſſima recipi debet, quòd perſpicuis ſcripturæ teſtimoniis nitatur: quanq̃ rationes nullæ ſatis firmæ ad eam perſuadendã, inueniri poſſint. Amplectenda ẽt, vt probabilis, eſt interpretatio, qua idem D. Auguſtinus uerba Ioannis citata ad oculos corporeos refert: at non perinde aſſentiendum illi eſt, cũ Ambroſium, & Hieronymũ de occulis corporeis angelorum locutos fuiſſe ſcribit, quorum de angelorum ſubſtantia opiniones, ex perſuaſione Platonica, qua imbutus ipſe erat, metiebatur. Veriſſimum alioqui eſt, quod ait, Deum p̄ eſſentiam nulla ratione oculis corporeis poſſe videri.

In viſione porrò, qua Deus per eſſentiam cognoſcitur, non ſolum negamus ſimilitudinem obiectiuam interuenire, quam certum eſt cum viſione per eſſentiam non cohærere: verùm illis etiam aſſentimur, qui omnem ſimilitudinem tollunt, quæ ſe habeat, ut ſpecies illa; quæ eſt in creaturis, ratio, ac principium cognoſcendi: tùm quòd creari res nulla poſſit, quæ ità purum illud, ac infinitum eſſe diuinum referat, vt vlla ex parte ſimilitudinem illam imitetur, quæ reperitur inter res creatas, & ſpecies, per quas ipſę eſſentialiter, tanquam per cauſas vniuocas cognoſcuntur; tùm vel maximè quòd eiuſmodi ſimilitudo ſuperuacuè poneretur, vbi eſſentia diuina (quæ proximum eſt viſionis obiectum) immediatius cum intellectu coniungitur ad efficiendum in eo ſui notitiam, quàm ſpecies vlla creata coniungi cum eo poſſet.

Cæterum non ita nos creatam omnem ſimilitudinem ex Dei viſione detrahimus, vt verbum etiam creatum in illa inueniri negemus: Nã qui verbum tollunt, nihil propius nobis facere videntur, quàm vt omnem Dei cognitionem beatis adimant. Siquidem cognitio omnis illa præſertim, quæ non inchoata, ſed perfecta eſt, nihil à conceptu, & verbo diſtinguitur. Affirmamus nos potius, cum viſio diuinæ eſſentiæ in beatis inſit, quæ actus, & operatio ipſorum eſt, ab ipſa Dei

eſſentia diuerſa, uerbum etiam illos diuinæ eſſentiæ cum ipſius præſidio formare, quod eius ſimilitudinem uariè in diuerſis exprimit, in aliis quidem perfectius, in aliis uerò imperfectius: ſed in omnibus eiuſmodi, ut infinito interuallo infra eius ſimilitudinem poſita ſit, quã uerbum exacta Dei cognitione compræhensũ, refert. Hoc uerò ideò mirum uideri non debere dicimus, quòd in creatura, quæ neceſſariò finita eſt, ne rei quidem infinitæ infinita cognitio eſſe poſſit: ſed finita duntaxat, ac proinde imperfectiſſima, quæcꝫ finitè, ac imperfectiſſimè obiecti infiniti ſimilitudinem referat.

Ex his liquidò conſtat quantum intereſt inter finitum, & infinitum, tantum intereſſe inter uerbum beatorum, & uerbũ diuinum. i. inter Dei cognitionem, quam beati aſſequuntur, & eam, quam ipſe de ſemetipſo habet. proindè meritò maxima Theologorum omnium conſenſione receptum eſt, comprehenſionem diuinæ eſſentiæ ſoli Deo poſſe conuenire.

Cauſſam differentiæ graduũ (quos in gloria beatorum, & agnitione, qua Deum illi conſpiciunt, ſcriptura perſpicuè conſtituit) illi demũ optimè explicant, qui eam ad diuerſitatem diuini luminis referunt, quo beati ſupernaturaliter donantur, ut in eſſentiã diuinã intueri poſſint. nec dubitandum eſt, quin uaria ſupernaturalis illius luminis diſpenſatio pro diuerſitate fiat amoris, & charitatis ipſorum ſanctorum. Itacꝫ præter multas alias rationes, uel hæc una, quanq̃ à poſteriori ducta, abundè tamen oſtendit intellectũ creatũ ad uiſionẽ diuinæ eſſentiæ peruenire nõ poſſe propter improportionalitatẽ, quã cũ re tàm excelſa, & infinita habet, niſi prius diuino, & ſupernaturali lumine attollatur, & deificetur, ut uiſioni tantæ Maieſtatis idoneus, & proportionatus efficiatur. Et ſanè cũ ex ſcriptura conſtet; nec creaturæ uoluntatẽ in uerũ creatoris amoré abſcꝫ ſupernaturali charitatis dono erigi; nec intellectũ in diuinarũ ueritatũ firmã perſuaſionẽ ſine dono fidei poſſe defigi, ſapientiſſimè in concilio generali decretũ fuit, lumẽ ſupernaturale, ut Deus à creatura uideatur, interuenire oportere. Quod lumẽ, tametſi res eſt finita, vt eſt ipſa charitas, et gratia, atcꝫ adeò omnis creatura: ſupernaturale nihilominus quiddam eſt, quod ad operationẽ uiribus naturalibus imparẽ, robur, ac uim præbet: quodcꝫ non magis ulli creaturæ naturale eſſe poteſt, q̃ poteſt naturale eſſe homini, filium Dei eſſe, aut impeccabilem.

BIBLIOTECA NAZ
1